

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

SALACITATIS

NATURA ET CURA,

QVAM,

FAVENTE SUPREMI NUMINIS GRATIA,

JUSSU ET AUTORITATE

ILLUSTRIS ET GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE

DN. PAULO GOTTFRIDO

SPERLINGIO,

MED. DOCT. ANATOM. AC BOTAN. PROF. PUBL.

CELEBERRIMO, NEC NON ARCHIATRO PRINCIPIS

SERVESTANI SPLENDIDISSIMO,

DN. PATRONO AC PROMOTORE SVO

ÆTERNUM VENERANDO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES,

INSIGNIA AC PRIVILEGIA

DOCTORATUS

LEGITIME CAPESSENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

ANNO MDCCI. d. XV. DECEMB.

HORIS ANTE ET POMERID. CONSVETIS.

JOH. CHRISTIANUS MAUL,

DRESDENSIS.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI GERDESII.

aetet.
8, 34

Drey diet.
325



DE SALACITATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS.

I.

Sapienter olim Veteres, ad prolongandam Vitam, & Valetudinem Corporis conservandam, moderatum alimentorum usum, corporis motum ac laborem, & parcum Veneris exercitium, teste *Plutarcho de tuenda Sanitate p. 129.* Iuventuti potissimum commendabant, & hæc tria, ὑγιεινότερα ipsis dicta, omnibus sanitatis regulis anteferebant. Hodie vero tantum abest, ut juxta saluberrimum hocce vivatur monitum, ut potius plurimi illud ipsum omnibus modis detestentur, luxu atque desidia ætatem terant, & imprimis a Veterum Germanorum moribus recedant quam longissime. Sicuti enim olim Germani, ipso *Tacito* laudante, fera utebantur Venere, & feroces Animos labore contundeant, atque impetus ad amores temperantia inhibebant; ita hodie juvenes sæpe impuberes, in lascivos amplexus ruunt, & non raro crebris stimulantibus Spiritus atque Massam sanguineam exagitant, eum

faltim in finem, ut promptius exardescant. Ipse sequior sexus variis illecebris & ficta venustate, formæque lenociniis incautos fascinat juvenes, & profligato pudore, corporis quæstum facit multo uberimum, atque impuros amores cauponatur. Quam male vero his ipsis valetudini suæ consulat uterque sexus, & ætatis robur, quod olim inexhaustum erat, ante diem frangat, suo experitur damno libidinosa illa & intemperans juvenus, quæ effœtum corpus senectuti tradit, & morbis inde correpta plurimis, mortis necessitatem sibi accelerat. Ut itaque juveniles istos refrenem impetus, & damnosas coerceam voluptates, ac ipsa quoque tenerior ætas amoris stimulos, non tantum conveniente Diæta avertere, sed & remediis compescere discat, pauca de SALACITATE, loco speciminis solennis, pro ingenii modulo, tradere laborabo. Abstinebo tamen me ab iis, quæ amore, jam dum æstuant, incendunt, ne ad libidinem faces præferam Lectori, quia potius motos componere fluctus fert animus: unde nemo hic impurum auferet animum, modo non attulerit. DEUS vero, qui humanæ carnis imbecillitates perspectas probe atque satis exploratas habet, nostras mentes ad sui nominis gloriam dirigat, atque efficiat, ut labor hic Corporis quoque Castitatem promoveat.

II.

Indidit certe Sapientissimus Conditor hominī naturalem quandam in Venerem propensionem, effecitque, ut sexus uterque sua sponte in amplexus
mutuos

mutuos feratur, atque organis eundem, generationi dicatis, instruxit, quæ tenerrimo sensu prædita, pubertatis tempore, a liqvore genitali turgescente, blande sollicitantur, & grata hac perceptione animum demulcent, ac efficiunt, ne propagationem generis fastidiat. Infitæ hæc in visceribus nostris inclinatio, quamdiu modum servat, & naturæ fines non transit, mentemque blande agit, multum ad Valetudinem Corporis conservandam confert, & spirituum ac humorum motum promovet, atque morbis non paucis medetur, totumque corpus vegetum servat, & ad actiones reddit idoneum. Quamprimum vero a naturali statu recedit, & vel plane deficit amoris stimulus, quod frigidis contingit, & in Fœmina observat *Pechlin. Obs. Physico-Med. obs. 44. p. 101.* (siquidem illa sensum hunc non dissimulavit, quem in suspicionem libidinis Veneræ rapi potuisse forte censebat,) vel etiam excedit Veneris œstrum, ut perditæ coitum affectent miseri: utrumque est in vitio, & morbis accensetur. Imprimis effrena coeundi appetentia, ubi in libidinem despumat corpus, pro ratione diversorum graduum, symptomatum, atque sexus, varia in Scholis Medicis sortitur Nomina & in genere SALACITAS nuncupatur, quæ communiter describitur, quod sit nimium & admodum vehemens Veneris desiderium, modo cum gravioribus, modo levioribus symptomatibus, ubi ægri sæpius, vel diutius, aut fere semper in lascivos amplexus propendent. Si in masculino sexu, illud quoque Colis vitium conjungitur, ut fere continuo erigatur, cum

A 3

lasciva

lasciva quadam palpitatione, & multa opinione libidinis, atque insatiabili fere Veneris desiderio, SATYRIASIS appellatur, a Satyris, quos olim fabulosa antiquitas inter Semideos referebat, & rustica sibi Numina, atque agrestes ac lascivos Sylvarum Deos fingebat, semper in Venerem proclives, & semper nervo erecto incedentes. Hoc vero morbi nomen vulgo servamus, licet non sit verisimile, ejusmodi genus animalium, in rerum natura extitisse; cum potius, si quid hujusmodi visum fuit, teste *Casaubono, de Poësi Satyrica*, vel illudentis Dæmonis Phantasma, vel naturæ lusus fuerit, aut ad Simiarum genus pertineat; quo & Satyrus, a Sylla captus, & *Tulpii Satyrus Indicus*, cujus *p. 271.* meminit, sunt referendi. *Hippocratis* enim Satyrus, cognomento Grypalopex, i. e. Vulpes incurva, vel tortuosa, dictus, qui in Thaso Insula, anno ætatis vigesimo quinto, pollutione nocturna correptus, de die quoque seminis profluvio laborabat, & anno ætatis trigesimo, tabidus interibat, cujus *L. 6. Epidemior. p. 179.* meminit, sine dubio homo erat, cui Satyri prænomen fuit. Sunt tamen etiam, qui non a Satyris, sed a Satyrio planta, affectus hujus nomen deducunt, quia radicis ejus usus in Venerem provocat, cum genitalium tentigine; unde Libidinosi Satyrion bibisse dicuntur, quod *Heerio* non fuit incognitum, qui *observat. oppido rarar. p. 133.* ex hujus plantæ radice mumiam Satyrionis, Eleusinium istud Mysterium conficit, quod frigidis commendat. Minus vero usitate Satyriasis dicitur ELEPHANTIASIS, licet Græcorum Elephantiasi, sive Lepra Arabum

Arabum

Arabum laborantes, in principio valde libidinosi observentur, & vel ideo ab hac nominatione abstinemus, ne affectuum confusionem pariat.

Si ulterius malum incrementa sumit, & nervus assidue, & plus, quam in naturali statu contingit, extenditur, atque magis quoque iutumescit, cum acutissimo dolore, & sine omni rei Veneræ appetentia, PRIAPISMUS appellatur, a Priapo, hortorum & agrorum Custode, qui membro semper erecto sculpebatur. Pertinet quidem hic affectus potius ad Convulsiones, quam Salacitatem, imprimis, quia Veneris desiderio destituuntur, qui eodem laborant, & quia Tetani modo membrum distenditur; ratione tamen Symptomatis præcipui, quod cum Satyriasi commune habet, ad Salacitatem a Practicis refertur. Hunc affectum Magnif. Dn. PRÆSES semel saltim in Juvene observavit, unde eum raro occurrere, cum *Lommo* iudicat. Miratur tamen *B. Sennertum* atque *Ettmullerum* in Praxi, in ea esse opinione, nec semen emittere Priapismo laborantes, nec Coitu levare, & post eum peractum, secus ac in Satyriasi contingit, tensum servare membrum; cum tamen tantum abfuerit, ut æger, qui suo utebatur consilio, Venerem exercere potuerit, ut, ob acutissimum dolorem, ne quidem lenem membri contactum commode ferret, illudque vix stragulis molliter velari pateretur.

Si eo usque affectus progreditur, & adeo exardescunt ægri, ut Spirituum animalium motus præternaturalis, ac nimius in toto corpore, & ipso Cerebro

exo-

exoriatur, atque inde legitima rationis usura, mentisque operatione destituantur, dicitur **EROTOMANIA** sive **AMOR INSANUS**, qui in foeminis **FUROR UTERINUS** nominari consuevit. In hoc morbo ægri intolerabili Veneris appetitu contabescunt, si, quod in mitiori casu fit, affectum suppressere possunt; vel sine febre delirant, & posthabito omni pudore, Venerem auide appetunt, lascivis sermonibus delectantur, & vel continuo, vel per intervalla obscæna effutiunt.

Si in Sexu seqviori malum est mitius, & mens adhuc constat, sic, ut intra honestatis limites se adhuc contineant, licet maxime in Venerem sint proclives ægræ, cum dolore & scalpendi desiderio, dicitur affectus **UTERI PRURITUS**, qui tamen interdum, juxta *Sennert. de Morb. Mulier. L. 4. P. 2. S. 3. c. 45. p. 249.* etiam sine Veneris appetitu miseras potest infestare. Æquiparatur hoc malum a *Roderico a Castro de Morb. Mulier.* atque aliis, Virorum Satyriasi; cum qua etiam non levem habet convenientiam Fœminarum **NYMPHÆA** sive **SYMPTOMA TURPITUDINIS**, quod est Clitoritis præter naturam excrecentis, & extra sinum pudoris se efferentis obscænus usus, de quo tacere præstat, quam multa dicere. Fœminæ, quæ nefaria hac libidine se polluant, & cum aliis mulieribus lascivius versari satagunt, *τρίβάντες* seu fricatrices appellantur, de quibus *Tulp. p. 241. & Roderic. a Castro p. 277.* consulantur. Reliquos errores detestabiles, quibus perditii homines in opprobrium sexus, & humani generis detrimentum, atque

atque ignominiam stimulos suos Venereos atterunt, atque ardorem libidinis restingunt, vel alunt potius, atque sustentant, studiose premimus silentio, eosque æterna oblivione dignos judicamus, cum tales flammæ Stygiis potius aquis sint extingvendæ.

III.

Afficiuntur vero, præ aliis, in jam laudatis morbis, organa utriusque sexus generationi dicata, quæ tenerrimo sensu prædita, in naturali statu, a liqvore genitali turgescente blande sollicitantur, non secus, ac lymphæ Ventriculi spiculis suis salinis, quibus turgēt, tunicam ejus nerveam, valde sensilem lancinando, nos de fame ac siti reddit certiores. In Salacitate contra, subtilis illa sanguinis portio, quæ feminis nomine venit, & in masculino sexu, in vasculis, testium substantiam constituentibus, longissimo itinere, dici vix potest quam solcite, secernitur, ubi in vesicularum seminalium cellulosa cavitate, copiosius colligitur, aut nimium turgescit, vel alio modo a naturali statu recedit, frequens illud voluptatis desiderium promovet, quatenus fibras carneas, quæ membranacea ista cingunt conceptacula, fortius lancinat, et Spiritus in iis excubantes exagitat. Habent quoque quod agant, vesicularum seminalium carunculæ, quæ osculo earum utrinque, in urethram patenti præponuntur, & valvularum munere funguntur, atque impediunt, ne semen in urethram emanet jugiter, quia liqvoris hujus spirituosissimi, ad expansionem maxime dispositi, impetus ægre sustinent, licet, quantum possint reluctentur. Suos pariter manes

B

pati

pati videntur glandulæ Prostatae, quæ quidem minus spirituosum liqvozem a sanguine segregant, & eum per propria vascula excretoria copiosa, in tubulorum seminalium ambitu locata, & carunculis munita, in urethram, urgente Veneris aestu, exonerant; hic tamen pariter fortius & quasi furis ad excretionem exstimulantur. Ubi vero Satyriasis conjungitur, quod in summo Salacitatis gradu contingit, ut & in Priapismo, ibi, præter jam laudatas partes, afficiuntur magis muscoli, communiter Penem erigentes dicti, qui originem utrinque sumunt ab osse Coxendicis, sub pene, infra principium corporum nerveo-spongiosorum, in quorum membranam exteriorem, non longe ab exortu terminantur. Nec plane immunes a labe videntur muscoli, urethram dilatantes dicti, qui ab ani sphinctere orti, sub urethram versus glandem excurrunt, ac circa medium Penis ad latera Urethrae desinunt, quia, cum præcedentibus, crebrius, & plus quam ferre potest natura, de suo admonentur officio, & mandato munere funguntur. Ipsa quoque corpora nerveo-spongiosa *Clarissimo Ruy-schio* dicta, crassius nempe & majus, atque tenuius & minus Urethrae, quæ Penis & glandis substantiam constituunt, crebrius atque diutius replentur, & quia sanguini non datur egressus, fortius distenduntur.

In sexu autem sequiori Ovaria patiuntur, quando purior sanguinis portio, pro elaborando semine, per arterias spermaticas, ad testes mulierum, Uteri lateribus accumbentes delata, & in Vesiculis vel

OVU-

ovulis, substantiam testium constituentibus collecta, vel copia excedit, vel alio modo vitium capit, & spiritus in nervis, quibus ovaria sunt instructa, nimium commovet.

Ast in Pruritu Uteri, mali sedes est Uteri Vagina, quæ ob tunicam internam, nerveam dictam, exquisito sensu prædita, continuo lancinatur a liquore seroso, qui ex lacunis potissimum majoribus, juxta urethræ exitum locatis, exsudat; si quidem is copiosior fuerit, aut acrimonia quadam salina sit præditus. Hinc in salacioribus sæpe solus conspectus adamatæ Personæ, & recordatio atque libidinosæ cogitationes efficiunt, ut liquor hic extra muliebria in notabili quantitate profluat; æque, ac membri virilis molitiones, in summo isto voluptatis gradu eundem proliciunt.

Non etiam obscurum esse potest, Clitoridem, sicuti in omni salacitate muliebri voluptates ex parte fovet; Ita in Fricatricibus præ aliis esse mali sedem, cum structura ejus, teste Clariss. Verhey. in Corp. Hum. Anat. p. 201. in morem penis ex duobus corporibus nervosis & spongiosis, a se invicem distantibus, veluti cruribus, sit conformata, quæ in extremitate glandem mentiuntur. Musculis enim quoque gaudet, ab ossibus Coxendicis ortis, qui in ejus crura desinunt, unde in lascivientibus, ob affluxum humorum atque spirituum, ad colisindolem accedit, quod tamen forte in nostris regionibus rarius observatur.

In Amore vero Infano atque Uteri Furore ipsum Cerebrum cum spiritibus animalibus, liquido illo, in

toto genere nervoso undante, in consensum rapitur, atque ipsa mens suo modo patitur, sic, ut nec spiritus semper mandato munere fungantur exacte, nec Anima, quid rerum in corpore agatur, distincte fatis percipiat. Ubi enim mens laborat, ibi Cerebrum esse affectum, suo jam ævo *Hippocrates* cognovit, quando de hac parte *περὶ τῆς ἰερῆς νόσου* dicit: καὶ τῷ φρονεῦμεν μάλιστα καὶ νοεῦμεν, τῷ δὲ αὐτῷ τῷ καὶ μαινόμεθα, καὶ παραφρονέομεν. i. e. & hac sapimus & intelligimus, & ea ipsa insanimus ac deliramus. Incusat quidem Veneranda Antiquitas, unanimi consensu Renes, & iis atque lumbis omnes partes in seminis generatione atque Veneris usu, & sic quoque in salacitate defert, & Sacras quoque Literas in subsidium vocat; at, quia hæc colatoria saltim in sanguinis purificatione & lymphæ inertis secretionem occupantur, licet hoc quoque nomine multum conferant, ideo eadem ex parte a culpa liberamus, vel saltim mali sedem in iis non, ut olim, esse quærendam arbitramur.

IV.

CAUSA IMMEDIATA Salacitatis in genere, est vehemens ac præter naturalis agitatio spirituum animalium in genitalibus, a principio quodam irritante excitata, quæ Cerebro communicata, totius corporis humores commovet, & hoc ipso mentem ita afficit, ut de rebus Venereis sæpius, & majori desiderio cogitet. Quocumque enim tempore etiam in naturali statu spirituum oritur motio in genitalibus, eo ipso omnium etiam humorum
lar-

largior affluxus ad has partes concitatur, & quæ torpidæ jacuere, & inertes ac tantum non funera-
tæ videbantur, ac in viscera confugerant, revivi-
scunt quasi, & non nisi succi nervosi commotio con-
quieverit, a vigore remittunt, ut sæpe freno indi-
geant.

Hinc SATYRIASIS oritur, ubi sanguis per
arterias hypogastricas, ad penis corpora nerveo-
spongiosa defertur, & in eorum substantiam poro-
sam effunditur, si major una succi nervosi quantitas
ad musculos erectores dictos confluit, eosque sæpius
animat, ut, mediante suarum fibrarum carnearum
contractione, crebrius & fortius corporum nerveo-
spongiosorum originem coarctent, & venas una
comprimendo sanguinis regressum impedian-
t. Quando vero ista corporum nerveo-spongiosorum
atque Venarum compressio diutius, & fere sine in-
termissione durat, ob musculorum erectorum spas-
modicam contractionem, & sanguini nullus con-
ceditur regressus, tunc in maximam molem expan-
duntur corpora nerveo-spongiosa, & membrum
quasi Tetano corripitur, oriturque PRIAPISMUS,
in quo affectu dolor, Veneris desiderium sufflami-
nat. *vid. de Musculor. Motu Magnif. Dn. D. Bergerus Archi-
ater Regius & Prof. Publ. longe Celeberrimus, Dn. Præce-
ptor & Patronus meus sancte colendus, in Physiologia Me-
dica cap. 22.*

Simili modo Clitoridis quoque motus contin-
gere, structura ejus innuere videtur, licet forte, ob

molem, hoc malum quandoque vitio conformationis jungatur. Si denique motus iste præternaturalis spirituum in genitalibus fluidas partes in toto genere nervoso turbat, & motum earum ita vitiat, ut animæ habenas non audiant, & non consueto more ad eam appellere pergant, tunc sensus depravantur, & ægri mentis usura sine febre destituuntur, quod in AMORE INSANO & FURORE UTERINO solet evenire.

V.

Istum vero motum præternaturalem spirituum in genitalibus excitant, & CAUSÆ MEDIATÆ PROXIMIORIS ac MATERIALIS locum tuentur omnia, quæ fibras sensiles genitalium, & imprimis vesicularum seminalium, Prostatarum, Ovarii atque Vaginæ Uteri fortius irritant, & hoc ipso spiritus, in illis partibus hærentes, exagitant, eosque simul copiosius a Cerebro ad Genitalia determinant. Hæc inter primo loco nominandum est semen, quod vel copia Vesiculas distendit ac gravat; vel ob spirituum in eo conclusorum abundantiam, ad expansionem magis dispositum exitum affectat; vel etiam acrimonia salina turgidum fibras membranarum lancinat, & molestum sensum Vesiculis conciliat.

Simili fere modo peccant Prostatarum liquor spirituosus, & lymphæ, quæ in Vaginæ lacunis secernitur, atque modo turgent & excretionem molliuntur, modo spiculis suis salinis tunicam interiorem Vaginæ lancinant, & Pruritus molestum excitant, cum magno Veneris desiderio. Hoc enim
con-

confirmat Experimentum in Cane scemella institu-
tum, cui, quia marem recusabat, solutio piperis in
aqua, mediante syphone, in Vaginam fuit injecta,
eo quidem cum successu, ut coitum non amplius
recusaret.

VI. *Ad Materialis vero Causæ proventum aliæ faciunt CAUSÆ REMOTÆ, quæ & feminis materiam & spirituum copiam & stimulum salinum uberiorem suppeditant. Inter hæc præ aliis eminent Massæ sanguineæ largior copia, & quidem illius, quæ salibus volatilibus abundat, ac lymphâ dulci atque gelatinosa non destituitur. Ex hac enim ejusdem naturæ semen in testibus, atque similes spiritus, in corticosa Cerebri substantia abunde secernuntur, quæ intra cujusvis liquoris consortium admixta reliquarum partium compedes, & ipsius animæ jugum excutiunt & jugiter aurigant. Ut vero sanguis ad alcalinam naturam deflectens salacitatis causa frequententer existit; ita eadem massa, si acris atque enixis abundet salibus, idem malum non raro infert, quod in scorbuticis & Arthriticis videmus, quorum genitalis atque nervorum liquores organa generationis fortius extimulant. Massam interim sanguineam talibus inficiunt salibus, omnia, quæ ad ejus texturam constituendam, quovis modo partem conferunt, imprimis, si, quod NATURALES CAUSAS appellant, jam cum vitæ initiis salacitatis jacta fuerint fundamenta, vel in cunabulis cum materno lacte transfusa. Hinc enim*

enim

enim illæ sæpe oboriuntur lacrymæ, ut ex similibus Corvis mala pullulent ova, & ætas Parentum, in hac quoque parte, det filios nequiores, qui postea progeniem vitiosiore procreant? Non minus ætas juvenilis, præ aliis his erroribus est obnoxia, quæ integris viribus, & viscerum robore gaudet, atque vitalium liquorum abundantia circumfluit; cum contra, sicut turpe est senilis amor, ita canities in se lascivos amores pellat. Videas nihilominus Senes quoque, imprimis calculo laborantes atque arthriticos, ob stimulum domesticum & acrimoniam sanguinis salinam, placitis istis bonis non abstinuisse; & viros post septuagesimum imo centesimum ætatis annum, teste *Salmuth. Obs. Med. Cent. III. Obs. 59.* liberos procreasse, fœminas vero septuaginta annorum Uterum gestasse. Sexus pariter sequior minus quidem ad has libidines proclivis videtur, cum fœminas liquore genitali non æque spirituofo indigere, & ovaria quoque non usque adeo solícite eundem secernere posse crediderim; supplet tamen in multis malitia istam conformationis differentiam, ut sæpius cum Messalina citius lassentur Venere, quam fatientur.

VII.

Porro inter CAUSAS NON NATURALES dictas, Aeris constitutio meridionalis & calidior, humores corporis commovendo, ad hos quidem errores corpora concitat; Abstinent tamen etiam se non omnes ab ejusmodi vitiis, qui Septentrionalia loca colunt, cum, ob moderatam transpirationem, spiritus in Centro quasi detineant.

Maxi-

Maximum autem stimulum suppeditant alimenta, quæ & quantitate & qualitate peccant, & materiam multis modis subministrant. Hoc faciunt omnia, quæ bene nutriunt, & salibus volatilibus abundant, qualia sunt cibi boni succi, omnia bulbosa esculenta, radix Satyrii & ejus Electuarium, radix eryngii, cynaræ, aromata & omnia aromatibus largius condita, cibi nimis saliti, vini generosi usus & similia. Omnibus vero anteferenda sunt Medicamenta volatilia & ex aromatibus confecta, largius assumpta, quo ipsa etiam Opiata a quibusdam referuntur. Inprimis autem hoc nomine famosa sunt moschata, camphorata, & ex Cantharidibus parata, quæ Exemplum *Heer. in Obs. oppido. rar. p. 129.* refert, qui tamen, mirari, eodem loco, desiisset, cur cantharides solam Vesicam lædant, si perspectam habuisset indolem partium gelatinosarum sanguinis & lymphæ, spicula salina cantharidum in reliquis partibus infringentem. Accusat quoque cantharides *Ettmullerus in Praxi* potissimum in Priapismo, non tantum interne assumptas, sed & externe saltim applicatas. Ipsa non minus purgantia, miro quodam errore, in dispositis, intestina præterlabuntur, & juxta *Platerum Pr. p. 543.* stimulum suum genitalibus communicant; imo, si *Borello in Epilogo Obs. p. 350.* fides est habenda, a maritis assumpta, & hoc munere functa, vim quoque purgantem mediante concubitu in uxores transfundunt.

Motus pariter corporis interdum salacitati occasionem præbet, qui etiam fortior, ut equitatio, & vita

C

vita

vital choreis dedita, quandoque languentem Venerem excitat, quatenus circulum sanguinis promovet, & torpidos spiritus excitat. Ipsa itaque flagra interdum segnes maritos sui admonent officii, inprimis si in dorso iisdem cædantur, juxta vasorum tractum, qualia exempla eorum, qui hoc modo in Venerem fuere armati, in eleganti tractatu collegit *Clariff. I. H. Meibomius, de flagrorum usu in re Venerea*, ut itaque extiterint homines, qui inter cruciatus, voluptates Venereas invenerint, eodem impetu in supplicium acti atque delicias. Fallitur igitur venerabilis Flagellantium Ordo, qui circa ferias esuriales, ficto quodam pietatis simulacro, præteritæ vitæ conscientiam expiat, quando talibus armis in propria viscera sævit, & velut in Cybeles sacris, tantum non pinu pectus illidit, & reliquum inguinis, Phrygiis cultris abscindit, (ut cum *Claudiano* loquar) si quidem ad castitatis leges servandas hoc modo corpus gestit præparare. Quibus vero hic flagrorum effectus a vero videtur alienus, illi aliam plagarum operationem, quæ minorem forte fidem apud vulgus inveniet, ex *Campanella* discant, qui *Medicinalium Libr. 3. c. 5. art. XII.* de Principe Venusiæ refert, ipsum non potuisse alvum deponere, nisi prius a servo, ad id adscito, prægnantibus verberibus cæsus fuerit, ut spiritibus ad interiora actis negotium posset absolvere.

Præter hæc vero, Veneris usus diu omissus, in consuetis & bene sanis, semen in Vesiculis cumulat, & causis est annumerandus, non minus, ac excessus similes, humores acriores reddunt, & ad convulsiones

fiones

fiones occasionem præbent. Disponunt quoque mentem ad hos affectus rerum Venerearum recordatio, ad spectus adamatæ Personæ, colloquia de rebus Venereis & similia; adversus quæ incitamenta pauci animum possunt obfirmare. Qui vero semel iterumque his obediunt affectibus, illi facilius postea eorum vi atque impetu abripiuntur, ut quasi in naturam vitia degenerent.

VIII.

Inter RES denique PRÆTER NATURALES Calculus, arthritidis & obstructio Mensium ad causas referenda sunt, & hæc imprimis quandoque Furor uteri concitat, notante *Borello Cent. 2. obs. 30.* quæ ideo forte, si color faciei immutatur, Febris amatoria nuncupatur.

Huc quoque quidam naturæ lusus sunt referendi, ubi peculiaris conformatio lasciviæ occasionem præbere videtur, & benigna natura in numero arteriarum spermaticarum luxuriat, atque utrinque duas, & sic quatuor in uno corpore format, ac genitalibus largiori sanguinis arteriosi proventu prospicit, quod a *Kerckringio obs. 32. p. 73.* memoriæ consignatum legimus. In aliis vero abundat testium numerus, cum modo tres, modo quatuor in uno subjecto fuerint reperti, & tres Parisiis, ac in nonnullis Italiæ familiis a *Fernelio* observati; quod etiam Illustrissimæ Germaniæ Familiæ proprium esse *Bartholinus* commemorat. Non minus pro diversa renum & vasorum renalium conformatione, in quibus sæpe ludit natura, alii aliis in libidines magis pro-

proclives observantur, quia hæc colotoria, serum superfluum & vapidum fecernendo, efficiunt, ut lymphæ in corpore residua evadat nitidior atque magis turgescat. Sic *Pb. Salmutb. Obs. Med. Cent. 1. obs. 23.* in duobus, qui ob rem Veneream quasi infames erant, post mortem in altero tres venas spermaticas dextras ex trunco, cavæ ortas vidit; in altero renes maximos, ternos imo quaternos alios humanos æqvantes. *Salomon Alberti* vero in *observation*: in sectione cadaveris masculini, hominis ultimo supplicio affecti, qui ante mortem de salacitate inexhausta, quæ vix satiari potuit, fuerat conquestus, tres observavit emulgentes in dextrum renem euntes, & Venas spermaticas in utroque latere in emulgentes sanguinem exonerantes. Eundem naturæ lusum *Riolan. antrop. L. II. c. 27.* notat, in homine, qui totus in Venerem pronus, quod tres haberet uxores viventes, strangulatus interiit.

IX.

Tandem Salacitatis causis communiter quoque annumeratur VIS quædam SUPRANATURALIS, quæ imprimis in amore infano per Philtra communicari posse creditur, cum animis sæpe noceant; licet pro indole varia, diversas forte edant operationes. Naturalia enim pleraque in se & sua natura videntur esse fortiora Venerem stimulantia, quæ tamen appetitum ad certam personam determinare vix possunt, cum ille potius promiscue in obvium quemvis feratur. Non etiam cogere eadem posse crediderim invitum & repugnantem, ut suis in-
gra-

gratiis amet Personam, quam odio habet; licet contrariam sententiam *Helmontius Tr. de Magnetic. Vulner. cur. Sect. 27. Tenzelius in Medicina diastatica, Maxwellus in Medicina magnetica, Agrippa in Phil. Occ. Paracelsus, Theocritus* & multi alii audacter tueantur. Provocant hi communiter ad exempla brutorum, inprimis canum, passeris & aliorum, in quibus, mediantibus naturalibus philtris, determinatus amor, erga homines excitatus fuisse dicitur, & eodem modo, odia inter conjuges atque disfidia sopiri, & inimicos quoque facili negotio reconciliari posse pollicentur. Enim vero, si optatus sequitur effectus, ut quandoque fit, illud oritur in brutis ab alimentis gratis, largius exhibitis, aliisque blanditiis; in homine vero a presentia personæ, quæ poculum amatorium exhibuit, & oestro libidinis percito se offert, ac arte eundem, variisque incitamentis in amorem pertrahere conatur, quod eo facilius tunc obtinet, quo largior dosis Philtri fuit exhibita. Si vero non in tempore occasio se offert explendi libidinem, vel præ pudore stimulum suppressere gestit potionatus, vel alia, & forte etiam supranaturalis causa se immiscet, tunc furorem facile inducunt ejusmodi pocula, quod exempla eorum, qui mediantibus illis ad insaniam fuere redacti abunde comprobant.

Interdum etiam exempla eorum, qui philtris in amorem alicujus iuducti creduntur, ex alio fundamento fallunt, & effectus potius a formæ gratia atque lepore pendet, aut aliis causis, amorem conciliantibus est imputandus. Hinc Olympia Philippi

Macedonum Regis uxor, excusabat ipsa puellam, a marito adamatam, quæ philtro Regem in amorem protraxisse credebatur, & cum ad se adductam, formæ pariter elegantia & morum suavitate excellere videret, abjecta suspitione de philtro, exclamabat: Valeant calumniæ, σὺ γὰρ ἐν σεαυτῇ Φάρμακα ἔχεις, Tu enim ipsa in Te habes philtro, atque Puellam dimittebat.

Quædam etiam experimenta, quæ determinatum philtro effectum probare videntur, eundem vel non sufficienter probant, vel a veritate plane aliena esse dixerim, quo, me iudice, illud *Helmontii*, quod in *Tr. de Magnet. Vuln. Cur. Sect. 27.* habet, est referendum. Prædicat ibidem de se ipso, se novisse herbam, passim obviam, quæ si teratur & manu foveatur, donec intepuerit, & mox alterius manus prehendatur & detineatur, quoad & illa tepescat, amorem excitet in persona prehensa per aliquot dies durantem. An itaque catulus, cuius pedem *Helmontius* hoc modo detinuit, relicta hera sua, *Helmontium* peregrinum confestim fuerit secutus, & noctu quoque ante ejus cubiculum ejulaverit, de eo quidem vehementer dubito. Simili modo suspectus esse videtur effectus rosæ, quæ postquam frutex, in quo creverat, aliquoties sanguine certi cujusdam hominis fuerat rigatus, gratiam suo adore homini, ex cuius corpore sanguis fuerat extractus, dicitur conciliasse.

Posse tamen etiam Diabolum naturalibus rebus ac philtro se associare, & ea dæmoniaca reddere, atque

que

que permissu Dei, tales impetus ad Venerem determinatos excitare, sicut ad alia vitia & pravos affectus homines subinde instigat, non omnino negaverim. Hoc enim modo iis, qui philtrum exhibere, & eum in finem ceremonias magicas institunt, facilius persuadere potest, effectum, quem ipse induxit, a philtris pendere, & quem philtera per naturam præstant, a se esse productum, eum in finem, ut superstitionem de philtris opinionem in hominum mentibus confirmet, eosque ad male agendum, & secum colludendum ulterius instiget. Tale dæmoniacum philtrum fuit, quod annulo inclusum, C.M. ita fascinasse dicitur, ut etiam post mortem suam ediderit operationem, quamdiu annulus, in ore defunctæ fuerat absconditus. Similis farinæ, sine dubio, pomum illud fuit, cuius *Salmuth. Obs. Med. Cent. 1. Obs. 70.* meminit, ex quo sexto die, postquam tertio plane nigrum apparebat, ranulæ enascebantur, quæ lacte calido nutritæ, incrementum capiebant, urina vero equina adhuc calente affusa, extinguebantur. Huc quoque referendus videtur pulvis ille, quem Iuvenula apud *Heerium Obs. oppid. rar. p. 168.* juveni quatuordecim annorum in cerevisia exhibuit, a quo primo sanguinem per os, alvum, urinam atque aures copiosissime effudit, postea quatuordecim limaces rubros vivos per alvum uno secessu rejecit, & tandem, quasi leprosus factus, cum memoriæ abolitione fuit restitutus. Licet enim ex sanguine menstruo parata philtera Maniam, notante *Borello Cent. 1. Obs. 65.* excitent, & insuper potionatos, ut alii observant, lepro-

pro-

profos atque obliviosos reddant; sibi tamen relicta eadem, graviora illa symptomata vix excitabunt, & nunquam limaces procreabunt.

X.

Vix vero opus esse videtur DIFFERENTIIS enumerandis, cum earum in antecedentibus facta fit mentio, ex quibus non obscurum esse potest, salacitatem aliam, pro ratione causarum, esse mitiorem, aliam graviolem, aliam continuam, aliam interruptam, vel cum, vel sine delirio, atque aliis gravioribus, vel mitioribus symptomatibus. Primus salacitatis gradus est vehemens Veneris desiderium; cui si conjungitur in maribus continua fere colis erectio, vel cum, vel sine dolore, aut in foemina molestus Uteri pruritus, cum insatiabili fere libidine, secundus potest appellari. Ad hunc secundum gradum pertinere videtur coitus, cujus *Borellus cent. 2. obs. 31.* meminit, ubi quis in copula conjugali, instar canum uxori junctus fuit, quod ab externo stimulantium usu deducit; licet Saxo Grammaticus idem quondam in Dania quibusdam viris contigisse, & a Diabolo factum fuisse commemoret. Ubi vero ægri rationis usura destituuntur plane, & Venerem, posthabito omni pudore, appetunt; vel licet supprimant affectum, præ nimio tamen desiderio contabescunt, tertius gradus est nominandus, quorum diversa nomina superius recensui.

XI.

Signa DIAGNOSTICA vel ex ægri, vel adstantium relatione intelligit Medicus; & quæ supprimun-

mun-

muntur ab illis, cum præ pudore non omnes patefaciant affectum, ex circumstantiis sunt colligenda. Satyriasi & Pruritus Uteri, quia ipsis ægris multas creant molestias, & Priapismum, ob dolores, qui eum comitantur, ultro Medicis solent aperire. Ex supra laudatis vero perspectum habere potest quilibet, Priapismo laborare ægros, si nervus plus, quam in naturali statu fieri solet, expanditur, sine omni Veneris desiderio, atque cum maximo dolore; cum contra, ubi similis fere genitalium motus, cum Veneris desiderio fere insatiabili conjungitur, & quidem communiter sine dolore, Satyriasis nuncupatur. An vero in hoc affectu facies quoque immutetur, & Satyrorum effigiem referat, aures erigantur, atque glandulæ pone aures intumescant, uti quidam putant, nemo prudens crediderit, cum talia monstra sibi fingant, qui nunquam viderunt Satyriasi laborantem.

Furor vero Uterinus & Amor insanus, ex mentis lapsu, & deliriis circa res Venereas, quæ raro possunt occultari, ut & ex signis, mox nominandis, dignoscuntur. In primis in his affectibus facies ut plurimum pallet, vigiliæ maxime urgent, somnus est interruptus, corpus contabescit, oculi intra orbitas conduntur, & gestus decorum non observant. Multi vultum sæpe mutant, & nunc hilaritatem, nunc tristitiam præ se ferunt, & si gratæ personæ fiat mentio, vel eadem oculis offeratur, in gaudia erumpunt, aut saltim in facie & pulsu notabilis mutatio deprehenditur. Pulsus quidem aman-

D

tibus

tibus nullus est proprius, quod recte monet *Sennertus* L. 1. Pr. P. 2. c. 10. p. 362; turbatur tamen, & naturalem æqvabilitatem non servat, pro ratione potissimum objectorum. Unde *Galenus* de præcogn. ad Postb. c. 6. Boetii, viri consularis uxorem, Pyladis in Theatro saltantis, amore flagrare, ex pulsu subsultante, Romæ cognovit; & *Erasistratus* Medicus, ex vegetiore pulsu & signorum syndrome deprehendisse dicitur, Antiochum, Seleuci Regis Filium improbis ardere facibus, & amore Stratonicæ novercæ, non omnino terribilis, tabescere, quod *Valerius Maximus* L. 5. c. 7. p. 502. memoriæ consignavit. In illis igitur, qui malum adhuc occultare possunt, & affectum, ob verecundiam non profitentur, si amoris adsit suspicio, Medicus pulsum tangat, ubi suspectæ personæ fit mentio, vel de ea affertur nuncium, aut ipsa eadem ex improvise ægro offertur, ubi, si non faciei color, certe pulsus mutabitur; cum mentem non prodere vultu atque pulsu, sit quam difficillimum. Sunt etiam, qui Carminibus amatoriis, vel colloquiis de rebus venereis hos ægros explorare solent, a quibus interdum hilariores evadunt, & in profundum gaudium erumpunt, interdum in lacrymas solvuntur, prout se vel in gratia esse existimant personæ amatæ, vel repudiatos opinantur. Rarum est symptoma, quod Nobili juveni contigit, cui, allegante *Sennerto*, puellæ asfidenti, cujus nuptias ambibat, subito vena, circa tempora, sponte fuit aperta, ex qua magna sanguinis effluxit copia.

Si

Si diutius durat malum, fœminæ potissimum, quæ stimulum Veneris, præ pudore, manifestare non audent, suspiria ducunt, & taciturnæ sunt, ac data occasione, violentas manus sibi ipsis injiciunt, suspendio vitam finiunt, in flammam se conjiciunt, vel in aquas se præcipitant, dedecoris fugiendi gratia. Hinc quidam sibi persuadent, Virgines Milesias, quæ catervatim se suspendisse dicuntur, & Mulieres Lugdunenses, quæ se in puteos & aquas præcipitarunt, furore Uterino laborasse, & præ pudore affectum noluisse patefacere; licet alii affectum istum pro nova & communi insania habeant, cui forte Dæmonis fraus accessit.

Si denique furor accedit, fœminæ evadunt garulæ, inquietæ, oculos hinc inde lascivius convertunt, & de re venerea facta mentione, lasciviunt, viros sectantur, & eos ad explendam libidinem sollicitant. Viri vero ut plurimum gravioribus symptomatibus agitantur, & præter jam laudata, insigni robore pollent, vestes lacerant, corpus imprimis ad conspectum fœminarum nudant, irascuntur, tumultuantur, vociferantur.

Si a philtro affectus oritur, ut plurimum symptomata omnia sunt graviora, & de subito ingruunt; atque si Dæmon se admisceat, licet non æque certa sint signa, quæ id manifestant, ob quam causam nil temere est asserendum, communiter tamen major, & insolita naturæ adest alteratio, quam in morbo ordinariè observatur, symptomata naturæ limites transgrediuntur, signa sibi invicem non re-

spondent, & selecta remedia non faciunt officium. Ut plurimum convulsiones adsunt graves, stomachi vitium pertinax, amor determinatus, & certæ personæ desiderium, quæ, nomine philtro, est suspecta; quo tamen vix referenda urina in olla igni ad mota non ebulliens, cum & ebulliens non denotet veneficii absentiam.

XII.

EVENTUS, ratione causarum & symptomatum, variat, & licet omnis in Venerem propensio, si naturæ fines transit, & modum non servat, atque ægri libidini vacant, corpus languidum reddat atque emaciet, cum etiam bene sanis non litandum sit veneri, nisi ubi quis se ipso volet fieri debilior; minus tamen periculosum est malum recens, & quod est sine delirio atque aliis gravioribus symptomatibus. Ubi vero radices egit, & deliria conjunguntur continua, atque alia graviora symptomata, ut & si a philtro est, & Dæmon se admisceat, ibi sæpe usque ad mortem ægros comitatur. Naturalis quidem utriusque sexus inclinatio animorum, uti de robore totius corporis nos certiores reddit, ita parcus dispensatus vitalis succus, imprimis si voluptates hæc in maturam differantur ætatem, &, qui hoc opus moliuntur, cum Seneca cunctentur, vitam potest prolongare, multosque morbos vel protrahere, vel omnino avertere. Ast omne nimium, quod excedit modum, hic quoque naturæ est inimicum, & inter plurimorum morborum, imprimis chronicorum, causas primo
stat

stat loco, atque varios affectus excitat, & in aliis tabem dorsalem, *Tulpio Obs. Med. L. 3. Obs. 24. p. 219.* notante ciet; in aliis deliria obscœna producit, quæ *Heerius Obs. oppid. rar. 138.* in sene modesto observat. Sunt etiam, qui inter ipsos amplexus apoplexia correpti, vix advertente focia, pellice sæpe turpissima, pereunt, & indignatam efflant animam, quod mortis genus quidam appellabat la morte del grillo in sul buso, cui alius subiciebat: ma non cantava. Gravior est affectus, si Satyriasis aut Priapismus supervenit, licet mitius degant, qui Satyriasi laborant, quod contra *Roder. a. Castro, qui de Morb. Mulier p. 242.* contrarium habet, affirmare nulli dubitamus. Ipsam tamen Satyriasin ex doloribus decet metiri, qui quo magis sunt acuti, eo propius malum ad Priapismum accedit, & qui inde pereunt, convulsi celeriter extinguntur, accedente sudore frigido, dolore lumborum, urinæ & alvi suppressione, abdominis inflatione, & totius sæpe corporis convulsione. Sic *Salmuth. Obs. Cent. 3. Obs. 29.* refert, senem, secundis nuptiis juvenulam ducentem, ut se virum, quod annorum vitio esse desierat, ostenderet, fortioribus usum stimulantibus, altero nuptiarum die inter deambulandum decidisse in terram & mortuum fuisse repertum, membro rigido permanente.

Amor vero insanus & Furor Uterinus sunt affectus chronici, qui integris sæpe familiis maculam adspargunt, & stato tempore redeunt, atque sæpe usque ad mortem ægros comitantur. Multi ma-

rasmo consumuntur, alii violentas manus sibi inferunt, & ibi raro remedia, etiam selecta, faciunt officium. Ubi tamen intervalla adsunt diuturniora, ibi major salutis spes effulget, ut & si Varices aut hæmorrhoides superveniunt, quæ juxta *Sect. 6. Aph. 21.* graviora solvunt deliria. Salutare quoque interdum observantur dysenteria atque hydrops, si iis corripuntur ægri, quod *Sect. 7. Aph. 5.* innuit; & qui ad frugem redeunt, somno se reficiunt, atque remittentibus deliriis, ad objecta venerea non amplius commoventur.

XIII.

Quia vero non amat æger Medicum loquentem, sed sanantem; ideo operæ pretium videtur, ut tandem quoque de remediis sumus solliciti, & quomodo CURATIO, cum ægrorum emolumento instituenda sit, breviter exponamus. Ibi vero ad causas potissimum respiciendum, & motus præternaturalis spirituum in genitalibus, & toto genere nervoso est refrenandus, atque ad naturalem statum redigendus. Sanguinis quoque atque feminis copia, ubi quantitas eorum peccat, est imminuenda, & acrimonia temperanda atque edulcoranda, & quæ emendari nequeunt, e corpore sunt eliminanda. Novus vero materiæ peccantis provenus, & nimia humorum laudatorum quantitas, per exactam diætam a Medico sunt præcavenda. His autem omnibus satisfaciunt Remedia, quæ ex usitatis fontibus desumuntur, licet non promiscue omnia omnibus conveniant, sed pro ratione causarum

rum

rum sint dispensanda, ita ut in hoc magis spirituum, sanguinis atque seminis abundantia, in illo eorum acrimonia emendetur, ac motus, & cuilibet causæ convenientia opponantur.

XIV.

Sic ex CHIRURGIA sanguinis & seminis copiam imminuit, & motum spirituum componit VENÆ SECTIO, quæ itaq; in Iuvenibus ac robustis, inprimis in Satyriasi, Amore infano & Furore Uterino est adhibenda, potissimum si deliria sunt graviora, item ubi evacuationes consuetæ, ut hæmorrhoidum aut mensium sunt oppressæ, sanguis & spiritus abundant, vasa turgent, pusillus est magnus, errores in diætâ præcessere, & alia consentiunt. Detracta enim sanguinis parte, reliqua massa cum minori impetu ad testes atque Cerebrum defertur, & si acrimonia conjungitur, residua pars facilius mitescit, ut vix præstantius remedium ad hoc malum vincendum reperias. Hinc interdum, ubi plura adsunt signa, quæ ejus usum indicant, ut quando insigni robore pollent ægri & deliria sunt fortiora, ibi major sanguinis quantitas est extrahenda, & interdum eadem operatio repetenda, atque in fœminis circa instantes menses potissimum instituenda. Ubi vero saltim humorum acrimonia peccat, stimulus ex errore genitalibus est communicatus, ætas & vires, atque alia non consentiunt, & corpus jam est exhaustum, ibi Venæ Sectio potius est omittenda, vel parcius saltim sanguis est extrahendus.

Com-

Commendatur quidem etiam ARTERIOTOMIA a quibusdam, & SANGVINIS TRANSFUSIO in Amore infano & Furore Uterino; ast quia operationes hæ minus sunt usitatae, ideo eas nos quoque negligimus, ut ipsas CUCURBITULAS, quæ etiam vix nisi præservandi fine adhibentur.

Fonticulorum vero usus non est proscribendus, licet omnino æque lympham dulcem atque nutriciam, ac salia acria eliminant, cum optimi quoque humores demum in parte stagnando corrumpantur, & non sit in potestate Medici, ut peccantibus humoribus imperet, & dicat, vade tu huc, utilibus vero; tu illuc. Sufficiat tamen, si ex parte & successive imminuatur stimulus, imprimis cum hæc quoque operatio magis præservandi fine instituitur.

Magis vero efficax & certissimum Salacitatis remedium est CASTRATIO, cui tamen operationi pauci se subjiciunt. Nemo enim hodie facile in morem musici illius quadrati, qui a *Timæo von gülden Rlee* 1.3. c. 52. p. 197. eam flagitabat, & loco foetri equum offerebat; hæc extrema patienter perferet, licet etiam extiterint, qui sibimet ipsis testes atque colem usque ad pubem, *Benivenio* notante, absciderint, quomodo Turcæ illos castrant, quos Gynæceis præficiuntur. Quia tamen hoc remedii genus immanitatem quandam præ se ferre videtur, ideo potius, ubi Medici semper lenitas nil proficit, FUSTIGATIONEM svaderem, qua sola ipsi mania-

nia-

niaci mitescunt, & qui pro obsessis habentur, teste *Bartholino in Epist. ad Meibomium* cicurantur. Mitiores interim manus meretur sexus seqvior, cui si la-
neum latufculum, & manus mollicellas inusta tur-
piter flagella conscribillarent, ut *Catullus* loquitur,
næ ego haberem, cur mihi de fostro metuerem,
qvod *Heerio* ruffus ille, pugionis ictu, in templo mi-
nabatur.

NYMPHOTOMIA vero, qva *Ægyptii* olim
utebantur, apud nos non est in usu, & ubi ea ne-
cessaria videtur, ibi ligatura, tanqvam magis tuta,
prius instituat.

XV.

Ex PHARMACIA interdum conveniunt
Purgantia, qvæ & primas vias & ipsam Massam fan-
gvineam a salibus peregrinis liberant; qvia vero
stimulum facile genitalibus communicant, ideo in
Satyriasi & Priapismo ab iis potius est abstinend-
um, nisi mitissimo qvodam, ut ex *Rhabarbaro*
parato, extra paroxysmum alvum quis velit subdu-
cere.

In Amore vero infano & Furore Uteri ac
philti suspicione, purgantia maxime sunt necessa-
ria, non tantum ut primarum viarum sordes ex-
purgentur, sed &, ut philtrum, qvandoqve ibidem
E la-

latitans, foras eiiciatur. Præ aliis vero ibidem conveniunt *Emetica*, quæ in omni Mania longe sunt optima, ut sine illis, vix quicquam laude dignum perfici possit; post horum enim usum, si probe munere suo fuerint functa, ut plurimum statim mitescunt Maniaci, & sæpe ad se ipsos redeunt, & sine illis quoque selecta non raro frustra adhibentur, unde *Magnif. Dn. PRÆSES* fere semper, paucis præmissis, ab iis facit initium. Hinc Baro ille apud *Schenckium t. 2. l. 7. p. 707.* qui a philtro tabidus interit, emetico forte restitui potuisset, si massa illa dura, quæ in Ventriculo eius post mortem fuerat reperta, per illud potuisset evacuari. Non minus urina equina eo quoque forsan nomine profuit ancillæ, quæ abdominis doloribus a philtro apud *Salmuth.* laborabat, quatenus nauseam & vomitum epota excitabat, mediante quo lacertas & ranas ejiciebat. Exhibeantur itaque vomitoria ex Tartar. emet: Infuso croci Metallorum, Oxysaccharo Lud. infuso, Mercur. vit. vel in robustioribus ex Mercurio vitæ in substantia parata. Ubi vero ea exhibere non licet, ibi, si in primis viis materia stagnat, errores in diæta præcessere, atque ætas & vires consentiunt, Purgantia in Amore insano & Furore Uterino, ut & Pruritu Uteri, ex Extr. Panchymagogo Croll. trochisc. alhand. Ref. Scammon. Chialap. Magister. G. G. Mercurio dulci, Rhab. Extr. fibr. helleb. nigr. & similibus conficiuntur.

AP.

APPROPRIATA vero in Iuvenibus potissimum, & ubi feminis & spirituum abundantia ac motus humorum peccat, sunt omnia acida, inprimis ex nitro & vitriolo parata, spiritus nitri, vitrioli simplex & philos. nitrum crudum in substantia, quo solo, in aqua nymphææ exhibito, *Timæus l.c.* intra triginta dies salacissimum hominem cicuravit, ut vix uxori demulcendæ sufficeret. Præ aliis vero vitriolata quasi substantiam testium immutare creduntur, ut diuturniori usu mares efficiant frigidos. Mitiora vero sunt spiritus Salis, succus citri, acetum rutaceum, Tinctura papav. errat. violar. bellidis. rosar. acidulæ, Mist. simpl. Opiata & similia.

Ubi vero humorum acrimonia peccat, & a stimulo externo, ut cantharidibus malum oritur, atque inprimis in Satyriasi ac Priapismo & pruritu Uteri, ibi magis demulcentia, diluentia & absorbentia locum habent, qualia sunt emulsiones ex sem. quatuor frigid. major. endiv. lactuc. portulac. cannabis, papav. cum aqua flor. nymphææ, rosar. lactuc. acetos. &c. atque pulveribus absorbentibus. Exhibentur hoc fine optimo quoque cum successu Antimon. diaphoret. simpl. & martiale cachect. pulv. cachect. Quercet. corall. os. scæp. cryst. mont. præp. CC. ust. perlæ præp. mater perlar. Sacch. Saturn. Ess. vitriol. mart. liquor martial. antiscorbutica ex nasturtio & hyperico parata, anticachectica, & in Priapismo Cinnabarina, succinata, CC. phil. &

unic mar. Opiata, Castoreata & alia nervina. Imo in senibus, & ubi salia acida & scorbutica peccant; ipsa salia volatilia cum aliis temperatis mixta, & camphorata quoque absorbendi fine in refracta dosi conveniunt, potissimum ubi in melancholiam aut cachexiam malum degenerat. Ubi autem ab obstructione Mensium aut hæmorrhoidum oritur affectus, ibi aloetica cum myrrhatis & salibus volatilibus atque martialibus locum habent, opiata vero sunt omittenda, quæ etiam raro in amore infano faciunt officium. Quæ vero pro appropriatis in Amore infano ac furore uterino potissimum, a philtis habentur, ea quidem ob vim absorbentem & incidentem quâ plurima pollent, non omnino rejicimus, frustra tamen sæpe adhiberi nulli dubitamus, argumento evidenti efficaciam eorum esse infirmam. Sunt vero ea, pulvis secundinæ humanæ primiparæ, qui commendatur si vermes adsunt, it: rad. bryon. viscus colurnus, fol. & fl. aqvileg. it: Ess. hyper. anthirrin. anagallid. it: perlæ præparatæ, quas in philtro a sanguine menstruo laudat *Borell. cent. 1. obs. 65.* ac ludus in aqua vel fucoco nasturtii aqvatici ab *Heerio .p. 174. obs.* probatus, Lapis bezoar. pulv. serpent. trochisc. de viper. Cynoglossum juxta *Schenckium* & similia. Reliqua vero ut semen viticis, agni illius castissimi, aquas castitatis, Tinctur. lap. lazuli, Tinct. & Magist. Lunæ, sanguinem humanum, & quæ hujus farinæ sunt, vix commemoratione digna judicamus.

EX-

EXTERNAE tandem optima hic sunt Epithemata ex aqua nymphææ, lactuc. portulac. folan. endiv. &c. cum succo semperviv. hyoscyam: nitro, aceto &c. genitalibus & lumbis applicanda. Interdum etiam balnea, inprimis in pruritu, & Capituluvia, ac pediluvia in vigiliis ex similibus v. gr. fol. lactuc. nymph. portulac. salicis, fl. tiliæ, hyoscyam. rosar. sambuc. violar. nymph. papaver. errat. rad. asar. fol. beton. serpill. pol. montan. &c. conficiuntur.

Emplastra vero Unguenta, amuleta & gemmas omitto, tanquam inania fulcra, quorum commemoratio mihi stomachum movet, non secus ac quid lamina saturni præstet, quæ a pluribus adhibetur, ab *Ettmüllero* rejicitur, non omnino possum determinare.

XVI

In DIÆTA prodest victus tenuis, cerevisia secundaria & ipsa aqua simplex, it: potus Theæ & Coffi, quæ tamen non æque generationem impediunt, uti *Simon. Paul. in Quadripart. Botan. p. 494. & de abusu Theæ & Coffee. p. 69. ex Oleario* de Coffi inprimis probare laborat, cum præter *Cl. Sponium* experientia testetur contrarium.

Cibi conveniunt acidiusculi, lactuc. cichor. endiv. portulac. melon: Nocent nimis saliti, aromatibus, inprimis pipere, caryoph. Zingibere con-

diti, & Vinum generosum, nisi in exhaustis & senibus quandoque parcior, ejusdem & temperatorum aromatum usus sit concedendus.

Nocet etiam decubitus in dorso, & in plurimis adspectus rerum venerearum & earum recordatio.

Fallat æger otium labore, & meditationibus evocet spiritus in laborantis cerebri subsidium, quomodo effrenata eorum ferocia omnium maxime contunditur. Ubi tamen surdo narratur fabula, cum *Augustino* teste, durissima sint castitatis prælia, in quibus quotidiana pugna, rarissima victoria, ibi æger de legitimo matrimonio sit sollicitus. Non enim Faustina, Antonini Pii Imperatoris Filia, mediante sanguine gladiatoris, cujus amore flagrabat, restituebatur, licet tepidi ejus partem ex Chaldæorum & Mathematicorum consilio absorberet, sed marito hoc ipsum potius debebatur, quia hausto cruore viro statim concumbebat.

S. D. G.



Locus Plutarchi supra lau-
datus ubi *ἐπ' ἔργματος οὐσίης συντήρη-
σιν* commendat, videtur ex-
plicare locum Orationis Do-
mini ubi *τὸν ἄρτον ἐπιίξιον* peti-
mus.

LOca Scripturæ Sacræ, ubi
VOCES שְׂעוּרִים & שְׂעוּרִים extant,
quæ per Dæmonem interpre-
tantur, & Germanice **Weldgei-**
ster & **Weldteuffel** appellantur,
ut Eſaiæ cap. 13. v. 21. Deut. cap.
32. v. 17. & Levit. c. 17. v. 7. ſicuti
Interpretes Britanni per Sa-
tyros exponunt, ita Simias et-
iam poſſunt denotare.

Diact 168, 23

